

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

Hoc erat in principio apud Deum.

Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est:

in ipso vita erat, et vita erat lux hominum:

et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.

Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.

Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine,

ut omnes crederent per illum.

Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.

Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

In mundo erat, et mundus per ipsum factus est et mundus eum non cognovit.

